

5
EPISTOLA

DOCTORIS

JOSEPHI FORNES

AD COLENDISSIMOS

MEDICOS PARISIENSES :

D. D. Bailly & Lemoine.

DOCTISSIMI DOCTORES ATQUE
Expertissimi Medici.

EX Regio Hispaniarum supremo Man-
dato, meque Celeberrimo, ac illustri
Capitalis Gotholoniæ Barchinonensis civi-
tatis congressu mittente: Monspeliū Apolli-
næ Artis Excellentissimi theatri jam per no-
vem menses immorari cogor. Primo (per-
mittente, ac protegente Exelentissimo, su-
premo ac Benignissimo Commandante Do-
mino Duce de Roquelaure) indagandi
gratia naturam, genium, & utrasque causas
externas, atque internas pestis Massiliensis,
tum & maxime remedia quæquæ, si specialia
quædam experta forent, nedum Curativa,
sed magis pro præcautione Deinde atten-

dendi causa illius ærei Draconis si aliquis, & quantus foret progressus, a primo scopo tamen nunquam oculos avertendo.

Cum igitur ex epistolis responsoriis (prima impressa Massiliæ die 10. Decembris 1721.) mihi ex Medicis, dicam melius, pro Apollineo cœlo Monspeliensi Athlantibus, Massiliæ ferocissimam belluam tunc ita animose paccantibus, primum scopum ex ipsorum generositate, profundaque doctrina, prudentive experientia attigerim: aliqua profunda phænomena clarius, quam per tot Cathedrarum in Æsculapii choro cursus, ab anno jam nonagesimo tertio transacti sæculi, capiendo: curiosa alia libando: ac dubia quædam admirando (quorum scrutinium & decisio calamo, & linguæ ex superiori ordine mihi privata) jam novo mandato mihi superiorum ex vestra docta, atque peritissima largitione inquirendum, atque humiliter mihi incumbit deprecandum, ut circa pestem apud Gabalos de novo insurgentem, transpirantem, vel volatu longiori transmigrantem; an ejusdem sit genii, vel ideæ, ac illa, quæ tantum sanguinem humanum depascendo, Gallo Provinciam hominibus orbare intendebat Tum maxime ex vobis mihi deprecandum,

ut specialia si aliqua media præcautionis, vel curationis remedia à vobis experta habeatis, contra belluam ferocem (quam per vos debellandam speramus) mihi revelare dignemini.

Nec cogiteris, quæso, ut longis lineis vos responsuros occupandos quæram; video quidem, quam injusta foret ex viris altiori, ac urgentiori negotio ita occupatis mea deprecatio: sed solum exoro, ut laconicis, ac succinctis verbis aliquid, circa jam expetitur mihi respondeatis, ut superioribus meis obediendo, ipsis largitionem, & beneficium vestrum nuntiare, atque offerre queam, ut nedum mihi; sed publico salutis Hispaniarum negotio vos benevolos, atque benefactores generose attendere, omnes, & singuli cognoscere, & fateri teneantur.

Sic Deus vos sospites ab atrocissimo omnium generi humano hoste in bonum publicum fervet, ut ex ipso singulis diebus exorare teneor Monspeli die 8. Septembris 1721.

Vobis in spe debitor, atque addictissimus Medicinæ D^r. Josephus Fornès in Universitate Barcinonensi Olim primarius Professor.

*Colendissimi atque perirritissimi Medici
Parisienses Domini Bailly & Lemoine.*

*ILLUSTRISSIMO ET CLARISSIMO
Viro Domino JOSEPHO DE FORNES
olim in civitate Barcinonensi primario artis
Medicæ Proffseori, mandato Proregis Gotho-
loniæ Monspelium Delegato.*

Statim ab accepta Epistola tua, Vir
Clarissime, ad te rescripsissemus, si per
maximum ægrotantium numerum licuisset:
non solum enim nobis erant invisendi, ut
juxta statum medicamenta interna præscri-
berentur, sed etiam necessario tenebamus
operantibus Chirurgis adesse, ut ipsos edo-
ceremus quâ Methodo, quâ arte Curandi
essent vel Carbones, vel bubones, quos at-
tentè Semper examinavimus, ut quid fe-
candum, vel urendum chirurgus, in morbo
ejusce indolis nondum experto, præscribere-
mus. Adde quod, cum fatali contagio ferè
statim atque manum operi admovissent,
hâc teterrima Peste corriperentur penuria
Chirurgorum, viros minus expertes, imò
in rebus Chirurgicis nullatenus versatos ad
tractandos ægrotos sepe advocaverimus:
Tales sunt viri duo Sepeliendorum mortuo-
rum munere fungentes (Corvos appellant)
qui juxta nostra præscripta & bubones &
Carbones, Sectione, ustione, topicorum

applicatione tractavêre : Tunc veró trecentos numeravisses ægrotantes in Nosocomiis nostris hocce lethali morbo affectos , cum bubonibus & carbonibus , tribus aut quatuor ad minium in unoquoque subjecto, imò octo & decem in quamplurimis.

Si per tempus liceret ; Vir Clarissime , expectationi tuæ pro virili responderemus , prolixam tibi Pests Canonicensis & Mariologiensis relationem mittentes, sed simplicem, hujusce utriusque morbi (differunt enim inter se] historiam refferemus ; donec (si Deus alia fecerit) liceat varias observationes in ordinem quemdam redigere, quas ad te libentissimè , vel levi penicillo adumbratas , mittemus.

Varix sunt sententiæ & opiniones circa translationem hujusce morbi ad Gabalos : Quod tamen ab omnibus urbis (la Canourgue) Canonice civibus receptum intelleximus est, quod Remex, unus ex iis qui sepeliendis mortuis fuerant occupati , Vigilantiam militum Massiliam custodientium eludens ad locum dictum à S^{to}. Laurentio ab urbe Canonica leucam distantem sese transtulerit, cui cum occurrisset cognatus quidam ex loco dicto *Correjac* , ipsi vestem laneam dederit, quam ille cum induisset , Peste Correptus

intra paucos dies mortuus esset, idem fatum brevi postea subierint tres ex natis ipsius, quibus vix aliquot dies supervixisset mater, sicque sensim serpsit ille morbus in loco dicto *Correjac*, & sensim urbis Canonicae civis invaserit, qui, hoc morbo ipsis ignoto, nulatenus territi, æque *Correjac* frequentabant.

Mariologii verò observatum, quod, qui primi hanc terribilissimam Pestem infecti fuere, oves a rusticis dicti *Correjac*, spe lucri ducti, vili pretio emissent.

Hæc sunt, Vir Clarissime, quæ de primâ origine Pestis in hacce provinciâ certiora habemus.

Cæterum quod spectat ad causas medicas, cum tam variæ fuerint hæctenus gravissimorum auctorum, præcipuè hujusce ævi opiniones circa causas Pestis, ut omnes ipsorum rationes possent perpendi & attentè examinari, multum temporis (quod per ægrotantium numerum non licet) esset impendendum. Adde quod prolixior esset tractatus, quam ut debitas epistolæ limitibus posset coarctari ipsas pro summâ tuâ in rebus medicis experientiâ, ex Symptomatum relatione, medicamentorum applicatione, Cadaverum sectione, facillimè cognosces: & varias diversorum auctorum rationes perpendendo, ve-

rum à falso distingues , legitimamque causam , si possit cognosci , brevi intelliges. Morbum qui urbem Canonicam depopulatus est , manifestabant rigores , horrores , tremores dolores capitis plus minus acuti , subita virium prostratio , somnus profundus , pulsus parvus , durus & debilis ita ut sepè tactu vix posset percipi , facies livida , Languidi oculi , lingua alba , nonnunquam , licet non ita frequenter in medio nigerrima , uauseæ frequentes , vomitus prius assumptorum alimentorum , vel bilis tum flavæ , tum viridis , imò & vermium bile innatantium. Hæc sunt symptomata quæ in primò morbi insultu ægrotantem statim invadebant , quem prius perfectissimâ sanitate frui existimasses.

Cessato rigore , aut horrore post aliquot horas , si eos excipias qui intra sex , octo aut duodecim ad summum horas fato fungebantur , febrem in nonnullis vehementissimam cum phrenitide ; in aliis febrem leviolem cum siti maxima , in aliis demùm , ne minimam quidem in pulsu mutationem percipere erat.

Dolores varii præcipiue pungentes in inguinibus & axillis , imò poné aures , futuram eruptionem anuntiabant.

Si legitime Carbones, vel bubones erumperent, cito imminuta sensim Symptomata evanescebant.

Vomitus nonnunquam per integrum morbi Decursum ægros vexabat, sicut & Diarrhææ, vel biliosæ, vel serosæ & colliquativæ.

Ex vividiori Sanguinis motu in ægrotantibus febre maximâ laborantibus, hæmorrhagiæ, vel narium, quæ semper Chriticæ fuere & cum euphoriâ, vel uteri, quæ semper lethales.

Mortem futuram indicabant respiratio frequens, laboriosa & anhelosa, nec non maculæ nigræ in universâ cute erumpentes.

Methodus qua in profliganda ac debellandâ hacce Contagiosâ lue usi fuimus, omnium simplissima. Experimentiâ enim tum in Urbe Canonicâ, tum Mariologii edocti fuimus hunc morbum, sicut & cæteros omnes, juxta indicata tractandum, & Vana ac futilia, imò, ut observavimus, fere semper lethalia, omnia illa pharmaca & antidota, quæ fumosis nominibus insignita, sub titulo Specificorum hîc & ubique locorum jactitantur.

Sola Officinalia medicamenta felici cum Successu præscripsimus; imò non omnia, quæ potuissent utiliter admoveri juxta indicata, cum scilicet quampturima deessent.

Statim a primo morbi insultu, etiam in ipso

ipso rigore, si nausææ vel vomitus ægrum vexarent, emeticum præscribimus, præcipuè radicem brasiliensem, quam experientiâ edocti cæteris omnibus anteponendam judicamus. Rarò per superiora tantum, sæpe sæpiùs alveo & xatui humores biliosos é corpore expellebat absolutâ hujusce medicamenti operatione, sudorificum & diaphoreticum ægro propinabatur, legitimè cooperato, & ad sudorem disposito, ex Theriac. Conf. hyacinth. Alkerm. extract. juniper. pulv. viper. Antim. diaphor. & similibus in aq. Fontan, dissolutis, cum nec aquas destillatas, nec varia decocta appropriata parare liceret, herbis & pharmacois omnino deficientibus.

Vires prostratas Liliū Paracelsi, Balsam. Pernense, cum Cardiacis simplicioribus refocillabant.

Laudanum liquidum Sydenham etiam larga manu & frequenter exhibitum, phrenitides futuras avertebat, præsentés fugabat.

Soporosos Sp. Volat. Viperar. Cornu Cervi, Aromatic. oleosus Silvii &c, exuscitabant.

Obscure delirantes volatilia cum laudano liquido debita dosi Commixta maximè juvabant.

Diarrhæas iteratus hypecacuhanæ usus, nec

non & Diascordio ad gut. XII. aut XV. Com-
mixto sistebat.

Si in ægro ad sudorem à natura comparato
Emericum indicatum fuerat, tunc maximo
cum successu Kerm: minerale præscribema-
mus, quod simul per stomachum & alvum
exerneret, sudorem promovendo.

Bubones sicut & parotides vulgò Cataplas-
matis emollientibus ad maturitatem duceba-
mus, tum ferro maxime ut fieri poterat, in-
cisione adaperiti, more solito tractabantur:
In ægris verò à naturâ ad sudorem maximè
dispositis, iteratis sudorificis medicamentis
& applicato Emplastro Magnetico Angeli
Salæ, bubones resolvebantur.

Carbonum Superficies primò circumcide-
batur, & escharam refecari omninò curaba-
mus, quod toties erat iterandum, donec
vividi coloris Caro appareret.

Si maximi Carbones . ut vidimus V. G.
unum a Scapula ad scapulam & a vertebra
colli usque ad Costas pothas interjectum spa-
tium depascentem, quam plurimis scarifi-
cationibus primò tractabantur, ut dum pus
essueret, facilius per partes escharam vel ex
se à subjectâ cuti separaretur, vel ferro
divelleretur: Cæterum sicut aliæ velcerum
species curabantur.

Febres quæ sub finem hujusce morbi, ægro fatigant, maxime qui phrenetide laboravere, cortex peruvianus sanat, sicut & omnes dolores stomachi, nauseas, vomituritiones, prius tamen evacuato stomacho.

Vides, Vir Clarissime, quod hic morbus non adeo specialem remediorum apparatus requirat, cum vulgaribus possit debellari. Quam plurima alia tentavimus sed frustra, sic Venæ sectiones, tum à brachio, tum è talo, quæ inquam plurimis casibus maximè indicatæ videbantur, omnes fuere lethales; sic purgantia per inferiora medicamenta ægris necem semper intulere. De peste Mariologienfi prolixo sermone scribere supervacaneum videtur, cum scilicet ægrotantes eodem modo aggrediatur & iisdem symptomatis sit stipata, & in eo tantum ab alterâ diversa videatur, quod quæ frequentissimæ in urbe Canoniciâ phrenitides, rariores in hâcce urbe: Quod etiam qui facillimè curabantur, bubones & carbones in Peste Canonicensi, in Peste Mariologienfi non ita, serpente intra musculos virulento illo humore qui Carnes corrodit ac depascit, ita ut intra duodecim horas sinus profundissimus, imò plures sese manifestent, cum antea, nec ullum quidem vestigium apparuerit. Adde, quod notatu dignum, quod rarò in parte decliviori sinus

illi effoveantur, ferè semper in parte superiori; Et ex Centum Carbonibus aut bubonibus, vix duos reperire fit, in quibus virulentus humor ejuscemodi fistulas solo ferro Curandas non excavaverit.

Quoad Curationem variat quam plurimum, Pestis Mariologiensis. Venæ sectiones, tum è brachio, tum è saphena, pro variis indicationibus, nullum non effectum produxere, si non perfectam ægro sanitatem Conciliavere, nec omnia symptomata delevere, saltem multum imminuerunt, ægrumquo sublevarunt.

In Plethoricis & sanguineis temperamentis, in doloribus lateris, qui quidem satis frequentes sunt, in Angustia pectoris, venam, tundimus in brachio.

In Delirio, phrenetide, doloribus renum gravissimis, urinæ, menstruorum suppressione, venam secamus in talo.

Si parum à prima sectione levatur æger, secundo tertio, imò & quarto iteratur.

Jugularem etiam cum felici successu secumimus in affectibus soporosis.

Emetica (si Kerm. minerale, rarò quidem exhibitum, radicem Brasiliensem in Diarrhæis tantum, excipias) vix conveniunt: in soporosis tamen affectibus octo aut decem tartari stibiati grana in aquæ communis libra

una, diversis vicibus propinata ægro multum conferunt, prius tamen venæ sectione depletis vasis.

Purgantia simpliciora, talia sunt manna, rheum, senna. &c. in hoc morbo, sicut & in aliis omnibus, statim atque se dederit occasio præscripta, alvum evacuando multum profunt, sicque melius disposito corpore, exhibitis Diaphoreticis & Sudorificis, uberior profluit sudor.

Cardiaca eadem, ac in Peste Canonicensi, præscribimus, tum simplicia, tum volatilia. hæc si unquam tutò possunt propinari, Certè in soporosa dispositione, sed maximè cum maculæ purpureæ, brevi morituri hominis, ni citò succuratur, signum certissimum, universam infestant cutim, sive rubri ac vividi sint coloris, sive ex rubro nigrescant: tum larga dosi spiritibus volatilibus exhibitis, & pluries repetitis, valida diaphoresi maculæ purpureæ evanescent, & mortem cum vita commutat æger.

Centum & ultrá numerares in hâc urbe, qui per unum alterum, tres aut quatuor dies, toti maculis purpureis conspersi, etiam nigrescentibus, hac methodo & frequenti volatiliu usu, ab Orci faucibus erepti sunt.

Nulla Certa Methodus ad debellandum tam

lethalem morbum potest præscribi, cum scilicet tota Curatio pendeat ab indicatis, & pro variis locis diversus sit hujusce morbi genius, ut in Peste Canonicensi, & Mariologienfi observavimus.

Si quid temporis per maximum ægrotantium numerum superfuit, tunc in sectione Cadaverum toti eramus occupati: Duo secuinus, quorum alterum viri validioris temperamentum, qui per integrum morbi Cursum vomuerat, & unâ cum bile verine per superiora rejecerat, cui tertio & ultimo morbi, Carbones duo, alter in brachio, alter in tibia erupuerant.

Aperto primum abdomine, intestina longè majoris quam in statu naturali Diametri, flabibus tumefacta apparuêre. Venter duplò major, qui per medium sectus vermem vivum (licet jam tertia numeraretur hora à morte) rotundum, albescentem, sex aut septem pollices longum, Consistentiæ Cartilagineæ, oculis subiecit.

Hepar, lien, pancreas, Cor & pulmones multo majora quam in statu naturali, incisa pro sanguine Cruorem maxime dissolutum fundebant.

Vesicula fellis, quam in statu naturali triplo major, fero nigerrimo repleta.

Apertus cordis ventriculus sinister duos

exhibuit polypos, unum in auriculâ, alterum in Ventriculo. Deficientibus instrumentis Cerebrum non secuimus. Alterum mulieris infantem proprio lacte nutrientis Cadaver adaperuimus. Initio tertii morbi, erumpentibus per cutem maculis nigris, fato functa fuerat. Dolor Capitis vehemens, Angustia pectoris & anhelosa respiratio sola fuerant symptomata, quæ ipsam à primo morbi insultu usque ad mortem defatigaverant.

Omnia intestina, si ileum excipias in quo facillimè dispositio inflammatoria Dignoscebatur, in statu naturali hepar maximum, vesicula fellis magnitudinis & coloris naturalis sero nigerrimo repleta maxime simili sanguini, qui è sectis arteriis aut venis, viscerum imi ventris, pectoris ac cerebri effuebat.

In venâ portâ polypum duos pollices longum, duos alios polypos, unum in unoquoque cordis ventriculo cum grumis sanguinis nigerrimis observavimus.

Cum unus è Chirurgis qui ab aliquot diebus in hanc urbem advenerant, cum aliis instrumentis Chirurgicis ferram ad sportasset, cerebrum ipsiusque partes secuimus sinum Longitudinalem polypus obstruebat, unum cum grumis sanguinis.

Substantia medullaris & Corticalis, ac ca-

terix omnes cerebri partes, nullatenus immutata.

Dura-mater in eâ tantum parte alterata, qua cerebrum a cerebello dividit quæ Cærulei coloris apparebat, maculæ nigræ per cutim dispersæ, vix adiposam membranam attingebant.

Prophylaxim hujusce teterrimæ luis nos ignorare ingenuè fatemur: inani conatu variapræscriptimus medicamentâ selectioria ex iis, quæ apud authores prophylacticorum titulo insigniuntur.

Hæc sunt, Vir Charissime, quæ in hâc utraque Peste majori attentione digna nobis visa sunt: utinam Expectationi tuæ satisfaciant: si quid aliud â nobis desideres, nos quæsumus, monitos facias, ut possimus aliquatenus obsequii nostri & observantiæ te certum facere.

Tibi addictissimi & Devotissimi.
BAILLY ET LEMOINE.

Mariologii XIII^o. Kal: Novembr.

Ann. R. S. H. 1721.

Permis l'impression requise ce 4. Novembre 1721.
B O R N I E R.

MONSPELII,

Ex Tipographia JOANNIS MARTEL, Impressoris
ordinarii Regi.

